


CONSILIIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

proferuntur ad altare. De cetero expressiones *cum populo* vel *concursu populi* idem sonant.

Ad n. 78, a:

42. Quaeritur utrum religiosi itinerantes, recitatione chorali divini Officii onerati, teneantur (etiam ut hospites in domo, quae non ad Officium divinum in choro recitandum obligatur) omnes Horas Canonicas privatum recitare?

Resp.: Affirmative. Hi religiosi non eximuntur, ratione can. 14, § 1 et 3, ab observatione legum personalium. Lex vero divini Officii, vi Constitutionum religiosarum seu professionis sollemnisi ac vi Ordinis sacri, est personalis.

Ad n. 78, c:

43. Possunt Ordinarii religiosi vi art. 97 *Constitutionis* de sacra Liturgia et art. VII Motu Proprio « Sacram Liturgiam » in casibus singularibus et iusta de causa a recitatione Divini Officii dispensare etiam singulas communitates ex toto vel ex parte, aut commutare?

Resp.: Negative. Art. 97 *Constitutionis* est obvius: « in casibus singularibus ». Nullo modo agitur de dispensandis communitatibus choro adstrictis. Ideo Motu Proprio « Pastorale munus » n. 24 concessit Episcopis facultatem reducendi obligationem choralem Capitulo rum. Clare tandem excluditur talis interpretatio in *Instructione* diei 26 sept. 1964, n. 78, c, ubi pro regionibus Missionum peculiares conceduntur facultates, sed « salva disciplina chorali religiosa... iure statuta ».

Ad nn. 80-84:

44. Utrum Officia parva post instaurationem sacrae Liturgiae abolenda sint?

Resp.: *Constitutio* art. 98 et *Instructio* nn. 80 ad 84 supponunt existentiam Officiorum parvorum etiam post instaurationem sacrae Liturgiae.

AD ORDINEM MISSAE

Ad n. 59:

45. Cum celebrans, in precibus ad gradus altaris, non amplius se signet ad verba *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, quaeritur, utrum Episcopus se signare debeat, eadem verba dicens, ad benedictionem in fine Missae?

Resp.: Negative, congrua congruis referendo. Nam in utroque casu signum crucis ad verba *Adiutorium nostrum* omittitur, ne bis successive celebrans se signet.

Ad nn. 44 et 45:

46. Utrum diacono, qui in Missa secundum n. 44 et 45 *Ritus servandi* legit aut cantat Evangelium, liceat etiam homiliam habere?

Resp.: Affirmative, post debitam, ab Ordinario obtentam facultatem, secundum C. I. C., can. 1342, § 1.

47. Utrum diaconus, qui in Missa lecta secundum n. 44 et 45 *Ritus servandi* legit Evangelium, possit etiam in aliis partibus Missae assistere more diaconali?

Resp.: Affirmative.

Ad nn. 44-46:

48. Vidi Missam lectam « versus populum » celebratam, in qua Epistola lecta est a dexteris celebrantis, Evangelium vero a sinistris. Quae ritur, utrum talis modus sit correctus, an procedere debet sensu opposito, sicut fiebat in antiquis basilicis?

Resp.: Si unus tantum habetur ambo, omnes lectiones ex eo proferantur. Unicus autem ambo a dexteris vel a sinistris altaris collocari potest, prout, iuxta ecclesiae et presbyterii structuram, magis opportunum videtur.

Si ecclesia duos habet ambones ita quidem exstructos ut unus maior pro Evangelio, alter minor pro Epistola sint constituti, lectiones ex iisdem ambonibus proferantur iuxta cuiusque destinationem.

Si vero duo ambones aequales sunt, aut duo sunt extruendi, Epistola legatur in ambone, qui est ad sinistram, Evangelium in ambone, qui est ad dexteram celebrantis stantis ad sedem in abside ecclesiae, retro altare.

Ad n. 46:

49. Commentaria de Missa cum concursu populi tractantia nil dicunt de Missa, quae celebratur in domibus religiosarum, in scholis pro puellis, etc., quod dolendum est, praesertim relate ad munus lectoris et commentatoris. In genere haberi non possunt pro his officiis clerici in sacris constituti. Sed nil dicitur in rubricis, quod talia munera assumi possunt a laicis? Quid faciendum?